



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvací, 1625

Capita Libri Qvarti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-45790)

LIBER TERTIVS.

419

dilectos tuos probare consueuisti. In qua probatione non minus
diligi debes & laudari, quam si cælestibus consolationibus me
repleres.

3. In te ergo Domine Deus, pono totam spem meam & refu-
gium; in te omnem tribulationem & angustiam meam consti-
tuo, quia totum infirmum & instabile inuenio, quicquid extra
te conspicio. Non enim proderunt multi amici, neque fortes au-
xiliarij adiuuare poterant, nec prudentes consiliarij responsum
utile dare, neque libri doctorum consolari, neque aliqua precio-
sa substantia liberare, nec locus aliquis secretus & amœnus con-
tutari, si tu ipse non assistas, iuves, confortes, consoleris, instruas,
& custodias.

4. Omnia namque quæ ad pacem videntur esse & felicitatem
habendam, te absente nihil sunt, nihilque felicitatis in veritate
conferunt. Finis ergo omnium bonorum, & altitudo vitæ, &
profunditas eloquiorum tñ es; & in te super omnia sperare, for-
tissimum solatium seruorum tuorum. Ad te sunt oculi mei, in te
confido Deus meus misericordiarum Pater. Benedic & sanctifi-
ca animam meam benedictione cælesti, ut fiat habitatio sancta
tua, & sedes æternæ gloriæ tuæ, nihilque in templo tuæ digni-
tatis inueniatur, quod oculos tuæ maiestatis offendat. Secun-
dum magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miseratio-
num tuarum, respice in me, & exaudi orationem pauperis serui
tui, longè exulantis in regione umbra mortis. Protege & con-
serua animam serui tui, inter tot discrimina vita corruptibilis;
ac comitante gratia tua, dirige per viam pacis, ad patriam per-
petuae claritatis. Amen.

LIBER QVARTVS

DE

AUGVSTISSIMO

EVCHARISTIÆ

SACRAMENTO

CAPITA LIBRI QVARTI.

Cum quanta reverentia Christus sit suscipiendus. Cap. I.
Quod magna bonitas & charitas Dei in hoc Sacramento homi-
ni exhibetur. II.

Dd 2

Quod

- Quod utile sit sepe communicare. III
 Quod multa bona praestantur deoꝝ communicantibus. IV
 De dignitate sacramenti, & statu sacerdotali. V
 Interrogatio de exercitio ante communionem. VI
 De discussione proprie conscientie, & emendationis proposito. VII
 De oblatione Christi in cruce & propria resignatione. VIII
 Quod nos & omnia nostra Deo debemus offerre, & pro omnibus orare. IX
 Quod sacra communio de facili non est relinquenda. X
 Quod corpus Christi, & sacra Scriptura, maxime sunt anima fidei necessaria. XI
 Quod magna diligentia se debeat, communicaturus Christo, preparare. XII
 Quod toto corde anima deuota, Christi unionem in sacramento, effigie debet. XIII
 De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad corpus Christi. XIV
 Quod gratia devotionis, humilitate & suip̄sius abnegatione acquiruntur. XV
 Quod necessitates nostras Christo aperire, & eius gratiam postulare debemus. XVI
 De ardenti amore, & vehementi affectu suscipiendi Christum. XVII
 Quod homo non sit curiosus scrutator sacramenti, sed humilius imitator Christi, subdendo sensum suum sacra fidei. XVIII

Deuota exhortatio, ad sacram communionem.

V O X C H R I S T I .

Matth. 11. Ioan. 6. Matth. 26. & 1. Cor. 11. Ioan. 6. VENITE ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego ris- ciam vos, dicit Dominus. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Qui manducat carnum meam, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Verba, que ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

C A P V T I .

Cum quanta reverentia Christus sit recipiendus.

V O X D I S C I P V L I .

1. HÆC sunt verba tua Christe, veritas æterna, quamvis non uno tempore prolatæ, nec uno in loco conscripta. Quia ergo tua sunt & vera, gratantur mihi & fideliter cuncta sunt accipienda. Tua sunt, & tu ea protulisti; & mea quoque sunt, quia pro salute mea ea edidisti. Libenter suscipio ea ex ore tuo,

